Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1321
Quelle:
Copyright:

quod in area rubra Serpentes binos albos, auro coronatos, ascendentes exhibet, ad quem referam, nescio.

DLXXXVII.

U. 123 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 138. 4. currente calamo perscriptus, et, ut per ἐπιγραφὴν: *Assit principio sancta maria meo*, conjicio, quondam *Thomae* nostri *Haselbachii*, est juxta clausulam in calce: *Lectura capituli Firmiter de summa Trinitate et fide katholica completa in studio Heidelbergensi per venerabilem Doctorem sacre theologie Cuonradum de Soltow anno Domini 1388mo. Ac cum ego scriptor istum librum scribendo finiui sub annis Domini 1490. Circa festum mathye apostoli et hoc in studio Vlmensi.* Praemittitur igitur ipsum Capitulum *Firmiter*, quod est I. Decretalium *Gregorii* IX. et dein ejus Expositio succedit ita in IV. *Partes* distributa, ut *Pars* quaevis materiam unius e IV. *Libris Sentent. Petri Lombardi* pertractet. Est enim Capitulum illud, ut notum, mere dogmaticum, unde et *Lectura* in illud inter theologica potius, quam Juris can. Scripta referenda est. Incipit vero: *Firmiter credimus &c. Fidem orthodoxam i. e. primam gloriam fidelium solidum et primum omnium virtutum immobiliter fore fundamentum auctorizans magister gencium* &c. Et finit: *Adimplebis me leticia cum vltu tuo, ad quam leticiam perducat nos trinitas indiuidua in secula seculorum benedicta Amen.* Tum Clausula jam adlata. Novit *Gesneri Bibliotheca* istud Opus Autorem adpellans *Zoltau.* Ejus *Postilla super Evangelia per totum annum* memorat *Staphorstius* in *Hist. Eccl. Hamburg.* T. III. p. 380. Unde mirum e docto et diligenti Professore ignavum et illaudatum evasisse Episcopum *Verdensem*, si quidem *Alb. Krantzio Eccl. Hist. seu Metropol.* L. XI. c. 3. edit. *Basil.* 1568. p. 338. fides, qui ita vixisse ait, *ut homo ventri et gulæ deditus accusetur*, addita tristi hac Nota: *idque ferunt esse Theologorum quieti insistentium.* Quod si verum, certe nunquam ex animo *Conradus* Scientias dilexit. Doctorem *Heidelbergensem* fuisse, nemo citatorum novisse videtur. Patria *Luneburgensem* faciunt.

II. *fol.* 135. ἀνεπιγράφως additur Expositio *Orationis Dominicae*, quae incipit: *Et primo sanctus Thomas de aquino dicit Pater et non dominus quia amari competit et non timeri* &c. Pleraque decerpta ex *Opusculo VII. Thomae* edit. *Rom.* 1570 T. XVII. f.

DLXXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 1097 Folior. 74. 4. nitide exaratus, rubro distinctus et fronte annum scriptionis 1493. praeferens hoc Titulo miniato est: *Petri Hędi portunaensis ad venerandum eruditumque Compresbyterum Joannem de Sancto Foca, de quibusdam miraculorum questionibus libellus.*

Rem